

Sed ut eo redeam, unde fortasse non inutiliter diverteram; Sabellicus honorifico stipendio ab Utinensibus evocatus est, ut publice in literis humanioribus Forojuliensem juventutem erudiret. Quo praecipuo tempore Roma in regiones has migrarit, incompertum est mihi: a ratione haud abesse putarem, anno M.CCCC.LXXV. id contigisse: etenim ex literis (*a*) ad Joannem-Baptistam *Cantalycium*, grammaticum ejus aetatis insignem, & postea Pinnensem & Atriensem Episcopum, datis fortasse anno M.CCCC.LXXXVI. certe haud multo ante, conjici videtur, annos jam novem circumactos, postquam Roma discesserat. Non ita tamen in schola Utinensi moderanda totus fuit, ut temporis aliquid non seponeret in studia scientiarum, quarum ad eam usque diem expers omnino fuerat, tunc enim operam aliquam dialecticae dedit, & mathematicis disciplinis, & p[re]caeteris linguae graecae. Contentus ego (inquit ille in eadem ad *Cantalycium* epistola) post nostrum ex urbe discessum nonnihil dialecticen & mathematicas artes delibasse, & industriam in graecarum literarum cognitione collocavi.

Paulo post, nempe anno M.CCCC.LXXVII. tam foeda lues Forojulium, atque Utinum in primis pervasit, ut ipse Philippus Thronus, qui tum *Locumtenentis*, ut ajunt, nomine provinciam eam moderabatur (*b*), Civitatem Austriae migrarit. Sabellicus etiam una cum aliis pluribus Tarcentum concessit, unde miserandae ejus cladis fuit spectator, qua Turcae, superato Sontio amne, ferro & igni provinciam illam totam devastarunt. Cum ipse sexto de *vetustate Aquileiae* libro descripsisset mala quibus ea loca barbari affecerant, caelo Veneto exercitu ad Sontium flumen kalendis novembribus, haec de se ipse addit: *Eram ego per id tempus Tarcenti: quo ob pestilentem annum ex Hunnio conesseram: auditaque clade ad Sontium accepta, in arcem quae vico imminet, cum multis mortalibus me receperam. Ex eo loco prospexit in universam Patriam late patet. Inde atrocissimum Patriae incendium non sine lacrymis spectavi, &c.* (*c*) Tum pergens id incendium vivis coloribus depingere, ita concludit: *Sed nos haec omnia copiosius in nostris poematibus, quorum hoc caudem Sontiacam, illud incendium Carnicum inscripsimus.*

Eorum igitur omnium, quae literatorum hominum manibus teruntur, primum locum tenent duo antedicta poemata de caede Sontiaca & de incendio Carnico: quo etiam tempore scriptum crediderim ab illo tertium carmen de munitione Sontiaca, ubi de monumentis agit, per Venetos ad Sontium amnem eo bello conditis, quorum praecipua fuerunt Gradisca & Foliana. Non multo post carmen aliud concinnavit *de Hunni origine*, quod communi Utinensi perhibet Palladius (*d*) fuisse acceptissimum.

Neque hic desit scriptor Forojulienses celebrare, a quibus amabatur unice colebaturque. Provinciae illius res, quarum cognitio penne oblivione obruta interierat, aggressus est undique perquirere, & sex libris complecti: hos de *vetustate Aquileiae* inscriptos, Joanni Hemo, equiti, dicavit, qui anno M.CCCC.LXXVIII. Utinensium fuerat praefectus, atque anno M.CCCC.LXXXII. copiarum Venetarum legatus erat in bello, quod Respublica tum gerebat adversus Herculem I. Atestinum, Ferrariae Ducem; quos libros ait se scripsisse proximis vindictiarum feriis. In hoc opus testatur laborem se maximum impendisse,

1475

(a) Epist.
lib. II.

1477

(b) Io.
Franc.
Pallad.
Histor. Fo-
rojul. P. II.
lib. 1. p. 51.(c) Eadem
omnino re-
petit Ven.
histor. dec.
III. lib. X.
p. 797. no-
viss. huj.
edit.

(d) P. 61.

1482